



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

57. An si quis lucretur Indulgentiam plenariam, liber remanent ab implenda pœnitentia medicinali imposta à Confessario? Et quid, si pœnitentia non sit medicinalis? Ex p. 10. tr. 12. & Misc. 2. res. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

intento observandi legem : in hac tamen materia satisfactio Sacramentalis videtur ex alio capite requiri intentio : est enim satisfactio pars Sacramenti : sed omnia Sacramenta exigunt in adulto, ut valide recipiantur intentionem & voluntatem recipiendi : ergo cum satisfactio sit pars Sacramenti, non potest habere valorem in subiecto non solum non consentiente, sed dissentiente & resistente potest per voluntatem contrariam, qua vult non recipere Sacramentum in illa actione.

2. Sed libenter ego contrariae sententiae adhaereo, quam tuetur Sanchez in *summa*, tom. 1. lib. 1. cap. 13. n. 17. & Lugo de *Sacrament. poenitent.* disp. 25. sect. 3. num. 37. Quia non semper requiritur intentio in suscipiente Sacramentum eo tempore quo fiunt omnia, quae componunt Sacramentum : unde dolor qui est pars Sacramenti potest haberi absque memoria praecedente recipiendi Sacramentum. Sic etiam dici potest de satisfactioe : nam illa postea non fit à poenitente tanquam à Ministro operante nomine Christi ; se solum fit ex obligatione & debito propter sententiam & praecipuum praecedens Confessarii : ad hoc autem ut fiat aliquid ex debito & obligatione, non requiritur, ut fiat ex animo satisfaciendi illi debito. Ergo &c.

3. Hinc infert Lugo ; quod licet poenitens in ieiunio non recordetur poenitentiam impositam, adhuc satisfaciatur ieiunando ex devotione. Et si alicui Confessarius imposuit pro poenitentia ieiunium, vel elemosynam disiunctim, & ipse dederit elemosynam cum intentione non adimplendi poenitentiam pro illam partem, sed ieiunandi postea : potest adhuc postea poenitens non ieiunare, quia reuera implevit disiunctim, quod à Confessario impositum fuit ieiunare, vel dare elemosynam.

RESOL. LVI.

Quae poenitentia iniungenda sit à Confessario ei, qui hominem necasset ? Ex part. 5. tract. 4. Ref. 43.

§. 1. AD hoc dubium ita respondet Comitulus in *respons. moral.* lib. 4. q. 11. n. 8. Haec meo quidem animo, salutaris esset, ut interfecti propinquissimum supplicem se abiceret, delictique veniam deprecaretur, ut illam illata damna sarciret, ut pro salute occisae singulis hebdomadis per annum integrum vnum saltem sacrificium, si tantum ei sit in bonis, fieri curet, ut singulis item hebdomadis elemosynam aliquam pro illius anima totum annum largiatur egentibus, ut per eundem annum aut Litanias, si legendi gnarus sit, aut si ignarus Beatissimae Virginis Orationem, seu Coronam quotidie flexis genibus recitet ; ut octavo quoque die per annum sacramento Poenitentiae sua peccata expiet, & singulis mensibus Eucharistiam sumat, ut in omni vita quotidie semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pronunciet, terram genibus tangens pro anima occisi. Ita Comitulus. Vide etiam Homobonum de *casib. reser.* p. 2. cas. 3.

RESOL. LVII.

An si quis lucretur Indulgentiam plenariam, liber remaneat ab implenda poenitentia, medicinali imposita, à Confessario ?

Et quid si poenitentia non sit medicinalis ? Ex part. 10. tract. 12. & Misc. 2. Ref. 47. aliàs 46.

§. 1. Emanere liberum ab implenda poenitentia satisfactoria * alibi docui, quia Confessarius imponit poenitentiam, ut poenam ad satisfaciendum pro peccato : sublato debito totius poenitentiae, proventus fit

Tom. 1.

per Indulgentiam, cessat omnino fundamentum illius obligationis : sicut si condonaretur à Principe poena debita pro aliquo crimine, eo ipso cessaret obligatio imposita per sententiam Iudicis ad poenam aliquam pro illo delicto subeundam.

2. Difficultas est, quoad poenitentiam medicinalem. Et affirmatiue respondet Cardinalis Lugo de *Poenitentia*, disp. 27. num. 23. dummodo haec non sit simpliciter necessaria ad vitanda peccata futura, quia tunc Indulgentia non tolleretur hanc obligationem ; cum haec obligatio non oriatur ex praecipuo Confessarii, sed ex ipso iure naturali, quo obligatur homo ad vitandum peccatum suum futurum, & consequenter ad vitandum remedium : quod censetur moraliter necessarium ad vitandum peccatum, quam obligationem Confessarius non imponit, sed declarat. Ita Lugo ; cui adde Patrem Leandrum de *Sacram.* tom. 1. tract. 5. disp. 14. quest. 172.

3. Sed ego magis adhaereo negativae sententiae, quam nouissime tuetur Martinus de San Ioseph, in *Mon. Confess.* tom. 1. lib. 2. tract. 7. de *indulgentia* n. 7. vbi sic ait : *El que gana la Indulgencia plenaria de la Bula, o por otra concession, queda libre de cumplir qualquiera poenitencia, que le aya impuesto su Confessor, porque auiendo impuesto esta, como pena para satisfacer por los pecados ; cessando toda la deuda dellos por la Indulgencia plenaria que se gana, cessa la obligacion de la satisfacion impuesta por el Confessor. Y lo que mas es, que esta definido, in capite Cum ex eo, de Poenitentia & remissione donde se dice, que per Indulgentias enervantur poenitentiae iniunctae ; desto trate arriba in materia satisfactioe Sacramenti Poenitentiae, tractat. 27. num. 13. y lleué, que por las Indulgencias no se quita la poenitencia preferuatina de los pecados, que esta no obliga tanto por el precepto del Confessor, como por Derecho natural, por el qual deve el hombre evitar los pecados futuros ; pero añade probablemente Lugo loco citato que tambien cessara la poenitencia preferuatina, como ne sea simpliciter necessaria, para evitar los pecados futuros. Yo siento, que aceriada de qualquiera manera que parece conueniente para evitarlos, no cessa por la Indulgencia plenaria, porque la razon dada conuenice esto : y la Indulgencia no tiene que ver con los remedios, que se aplican para evitar los pecados : & argumentum bonum non fit ex dissimilibus. lege *Inter stipulationem*. 82. §. *Sacram. verb. sea hac dissimilia*, ff. de *verbor. oblig.* & à diuersis non fit illatio, lege *Papinianus exuli*, ff. de *Minoribus*. Huc vsque Martinus, cuius sententiae ego vt dixi magis adhaereo tanquam communi. Vide Caspensem in *Curs. Theol.* tom. 2. tr. 24. disp. 8. sect. 6. n. 46.*

RESOL. LVIII.

Quando poenitentia imposita à Datario pro aliquo matrimonio dirimente, impleri non potest, quaritur, an possit commutari ab Episcopo, & contrahentes virtute dispensationis obienta matrimonium inire ?

Et pro praxi huius questionis alia diuersa difficultates in exemplum adducuntur. Ex part. 7. tract. 10. & Misc. 1. Refol. 9.

§. 1. Negatiue respondet P. Thesaurus in *praxi de poenit.* parte prima, cap. secundo, quia poenitentiae quae debent praecedere actum dispensationis, sapiunt formam, & sunt loco compositionis. Sed aliquis posset dicere, quod dictae poenitentiae sapiunt formam, quando in propria specie adimpleri possunt, ita vt dispensatio ante adimpletas

F f 3 poeniten

Sup. hoc in Refol. 1. not. praerogative. in Ref. 2. §. 1. ad lin. 4. & in §. Nec obstat, ad medium, & supra in Ref. 7. cursum in §. 2. post mediū, à vers. Dicitur author. & in to. 5. tr. 1. ex lata doctrina Refol. 2. or. in fine, ver. intelligendo tamen.

TON
COPIA
1511
III